DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

MENSIBUS.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

MENSIBUS

EORUMQUE EMANSIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS HUSBANDS,

BARBADENSIS,

SOCIETAT. REG. MEDIC. EDINENS.
SOCIUS EXTRAORDINARIUS.

"— *Delectat* Veneris *decerpere flores.*"
Ovid.

---

viii. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1805.



VIRO HONORABILI,

JOANNI BECKLES

AVUNCULO,

BARBADENSI COGNITORI REGIO;

IN

PUBLICO CIVIUM CONVENTU

LEGATO;

DOMESTICÆ MILITIÆ BARBADENSI

PRÆPOSITO;

QUO,

POST PATRIS MORTEM,

PRO PATRE,

USUS EST;

HANC DISPUTATIONEM,

ANIMO ET REVERENTIA,

QUIBUS

BONUS PATRI FILIUS,

D. D. DQUE

GULIELMUS HUSBANDS.

GULIELMUS HUSBANDS,

DOMINICO LYNCH, M. D.

SUO,

S. P. D.

UTINAM, mi amice, possem dicere, quantum tuæ debeam amicitiæ, quantique te, fidum diù amicum, æstimem. Sed, quum sit mihi neque uber CICERONIS *facundia, neque facunda* PLINII *brevitas, gratiam parem referre non possum. Habeo autem, crede mihi, quæ tute ipse verbis anteponere soleas, gratum erga te animum, et amicitiam in te fidam. Fuimus unà felices; et, si non detur, ut in posterum unà simus, permittant* SUPERI, *ut verâ virtute et mutuâ fide, firmissimis amicorum copulis, simus, quod superest ævi, uterque utrique, cari amici, et, alter alterius, memores. Diù, mi* LYNCHI, *felix vivas, precor, et in tuâ prole reviviscant matris decor, patris virtutes. Vale. Octavo Calendas* JULIAS, EDINÆ.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

M E N S I B U S

EORUMQUE EMANSIONE.

PROOEMIUM.

§ I. NON mihi consilium est fusè exponere, quot quantisque morbis opportunum sit hominum genus; eoque minùs, quòd plurimi, ante me, non solùm ingenio clari, et scribendi arte peritiores, sed etiam exercitatiores in morbis cognoscendis et curandis, hoc, in hujusmodi disputationum limine, fecerunt.

II. Cùm ità sit, satius existimavimus, nullis usi ambagibus, enunciare, nobis in animo esse,

primùm de fœminarum mensibus generalitèr dicere ; dein miserandis, at amabilibus tamen, opem ferre virginibus, quæ, tempore Naturâ constituto, primos menses non profundant, horumque ex mora multa mala experiantur.

PARS

PARS PRIMA.

DE MENSIBUS.

III. FOEMINÆ sic à Natura constitutæ sunt, ut, dummodò bonâ fruantur valetudine, pubescente ætate, plus sibi sanguinis parare incipiant, quàm quod ad sua corpora sustinenda requiratur; ideòque aptæ fiant, quæ concipiant, utero gerant, pariant, novamque alant prolem, quâ hominum genus conservetur.

IV. Pubertas autem, seu tempus quo fœminæ pubescunt, et fiunt viris maturæ, non, ubique orbis terrarum, eâdem ætate accedit. Nam, quo propiùs ad circulum æquinoctialem spectat cœlum, eo maturiùs virgines adolescunt; quo verò longiùs hinc vergit ad alterutrum polum, eo seriùs. Intra metas solstitiales, ubì igneus vigor dominatur, premi aptæ fiunt et nubiles, decimo duodecimove ætatis anno: prope verò septentrionem, ubì, singulis annis, omnia plures menses gelu torpent, non antè pubescunt,

pubescunt, fiuntque viris tempestivæ, quàm duodevicesimum undevicesimumve ætatis annum attigerunt. Plures LAPPONICAS fœminas vidit LINNÆUS, quæ nunquàm menstruæ erant, ideòque viro junctæ infœcundæ *.

v. Mira, et extra ordinem quidem, præmaturorum mensium exempla narrant auctores. Puellula memoratur, quæ, nondùm trimestris, præcoces menses profudit; et, quod sanè mirum, quarto ætatis anno, quippe quo tempore genitalia et mammæ perindè se haberent, ut in virginibus octodecim annorum observari solent, viro tempestiva videbatur. Aliûs puellulæ meminit SWIETENIUS, quæ, primo vitæ mense, profluvium genitale experta est, et videbatur septimo ætatis anno nubilis †.

vi. Quâ verò cunque ætate proveniunt menses, cùm corpus, tum animus, nova et hactenùs incognita sentiunt, quæ eorum adventum prænuncient.

---

* Vid. SWIETEN. *Comment. in* BOERHAV. *Aph.* tom. iv. pag. 395.

† Vid. LINN. *Flor. Lappon.*

nuncient. Augescentes mammæ sororiant, et castas invitant amantis compressiunculas. Clunes pinguescunt. Pubes, crinibus nunc ornata, prurit; et ipsis perindè videtur virginibus, ac si onere gravaretur. Renes aliquandò dolent, et gravari videntur. Virgines pigrescunt; frequentiùs oscitant; et totum corpus extendunt. Interdum fastidiunt, et nauseant. Genis, quæ subindè rubent, non constat rubor. Haud paucis rigent cervicis musculi, et dolet caput. Pleræque identidem incalescunt. Nonnullas febricula invadit. Aliis papulæ erumpunt in facie.

VII. Utì, mensibus proventuris, nova sentiunt virginum corpora, ità nova animos occupant et delectant. Pubescentes nunc primùm persentiscunt, quid sit amor: et, quò, ante alias ætate sibi æquales, pulchræ sint et amabiles, student artubus se fingere; vultum componere; vestitu esse decoræ; dulci vocis mollitudine loqui, et canere; simulque psallere, et cæteras discere artes, per quas adolescentulis occultum ignem inspirent. Molli ex pectore insolita ducunt suspiria: corde ar-

descunt,

descunt, et palpitant: oculis scintillantibus, et aspectu lubricis, juvenes furtìm petunt; aut petitæ ipsæ erubescunt, consciæ, quantis gaudiis afficiant et afficiantur. Quàm aptè hujusmodi virginem descripsit divinus poëta:

"*Now from the virgin's cheek a fresher bloom*
"*Shoots, less and less, the live carnation round;*
"*Her lips blush deeper sweets; she breathes of youth;*
"*The shining moisture swells into her eyes,*
"*In brighter flow; her wishing bosom heaves,*
"*With palpitations wild; kind tumults seize*
"*Her veins, and all her yielding soul is love.*"

THOMSON.

VIII. Undè, et quem in finem, et quibus ex vasis, certâ ætate proveniant menses, in varias partes disputatum à medicis est. Quum ità sit, haud à re nostra erit, de illis pauca generalitèr dicere, priusquàm, de horum mora in pubescentibus virginibus, disserere aggrediamur.

IX. Hanc rei nostræ partem persequendo, opus est, ut exponamus, primùm quibus ex causis menses profluant; deindè, quem in finem; tùm, quibus ex vasis.

CAP. I.

Quibus ex causis menses.

x. Quum fœminæ tam humani generis, quàm viliorum animalium, quæ vivos pariunt fœtus, et mammis alunt, naturâ instruantur utero qui vasis abundat, et magnæ patiens est distentionis; res videtur postulare, ut, ante omnia, eum paucis describamus.

xi. Hic saccus, in quo, per menses graviditatis, alitur fœtus futuri hominis, in pelve situs, à posteriore et inferiore parte, recto intestino adnectitur; ab anteriore et inferiore, vesicæ et vaginæ; ex utroque margine, ossibus pelvis.

xii. Uterus arterias accipit, alias ex ramis *internarum iliacarum*, alias ex *arteriis spermaticis*. Illæ arteriæ in posteriorem colli partem ingrediuntur; et hinc quoquoversùm, ad fundum usquè, surculos distribuunt: hæ, fundum ingressæ, diffundunt surculos deorsùm, collum versus. Arteriæ *iliacis* enatæ desinunt in venas

nas conjugas, quæ, inferiora petentes, in paucos coëunt truncos; qui, collo egressi, in præcipuos *internarum venarum iliacarum* ramos sanguinem conducunt. Arteriæ, quas in uterum diffundunt *spermaticæ*, in venas pertinent, quæ, ex fundo uteri, in *venas spermaticas* proficiscuntur.

XIII. Arteriæ utriusque generis, itemque venæ conjugæ in quas desinunt, mirifico omnem in partem reptatu diffundunt surculos, qui ubique inter se communicant. Quinetiam, ut in gravidis conspicamur, naturâ sunt distentu faciles, ideòque aptæ, quæ solito plus sanguinis accipiant.

XIV. Utriûsque generis arteriarum surculi innumeri, distentu faciles, in uteri cavum osculis patent; dum alii patent in cola glandularum, quæ mucum secernunt.

XV. Uterus nervos accipit partìm ex *sacro-lumbaribus*, partìm ex *spermaticis*. Illi nervi, collum ingressi, arterias venasque *internis iliacis* ortas comitantur; hi, fundo insiti, profectos ex arteriis venisque *spermaticis* surculos sequuntur.

XVI. Absorbentium

XVI. Absorbentium alia, uterinos arteriarum venarumque *spermaticarum* surculos comitata, ad lumborum glandulas *lymphaticas* proficiscuntur; alia, quæ irrepunt arteriis venisque, quas in uterum distribuunt arteriæ venæque *iliacæ internæ*, eunt in glandulas, quæ in pelve utrobique sitæ sunt.

XVII. His cognitis, satìs constat, uterum esse, præ cæteris fœminarum partibus, utì situ, ità fabricâ aptum, cujus arteriæ et venæ sanguine augescant et distendantur; cujusque patuli arteriarum surculi corpore effundant sanguinem, qui, ferè quotquot eunt lunæ, redundat. In hac *APTITUDINE* consistit, in pubescentibus puberibusque fœminis, ad menses *PROCLIVITAS*.

XVIII. *EFFICIENS* mensium causa quid sit, multùm inter auctores discrepat. Nonnulli enim lunam esse contendunt: alii opinantur, fermentum quoddam in universi corporis, uterive soliûs sanguine, diffusum: quidam existimant, plenitudinem totius corporis: et sunt, qui uteri tantùm plenitudinem censeant.

XIX. *Prima* (XVIII.) *opinio*, quippe cùm ad fidem vulgi, creduli et miris gaudentis, quàm philosophantium, aptior sit, vix digna est, quam argumentis refutemus. Vera enim si esset, fœminis puberibus omnibus, quibus eadem esset ætas, regio et temperies, menses, quo sanè nihil falsius, iisdem periodis et unà abundarent, et subsiderent *.

XX. *Secundæ* (XVIII.) *opinionis* discordant inter se ipsi auctores. Censet enim Graffius, fermentum in universi corporis sanguine diffundi; in eo tantùm uteri, Bayleus †. Auctoris utriûsque opinio vero absona est, imò communi medicorum sensui repugnat. Quæ enim fermenta, suum uterque, assumunt, nullus medicorum quisquam, nostrâ ætate, concedit; et, assumptionibus non concessis, nulla conclusio est.

XXI. *Tertiam*

* Vid. Friend. *Emmenagog.* cap. ii.

† Vid. Friend. *Emmenagog.* cap. ii.

XXI. *TERTIAM* (XVIII.) *OPINIONEM*, ARISTOTELE et GALENO * ducibus, FRIENDIUS, aliique haud pauci, defendunt, et argumentis sanè verisimillimam reddunt. Inducti sunt, ut plenitudinem corporis mensium causam esse concluderent, quòd fœminæ, quæ, statutis temporibus, menses effuderunt, valetudine integræ sunt, et, cæteris paribus, eodem corporis statu, quo ante menstrui circuitûs initium: quòd, nisi intervenientibus temporibus, sanguis plùs abundaret, quàm pro ipsius fœminæ corporis usibus, menses adeò non, ut sæpè, ad alios morbos solvendos conducerent, ut ipsi morbus, neque is sanè levis, essent: quòd, cæteris paribus, fœcundæ, quo minùs corporibus suppeditata ex alimentis excedunt ex iisdem dispendia, eo parciùs purgantur: et quòd fœminæ, quippe cùm non solùm ob languidiorem sanguinis motum, et patulos arteriarum surculos

* Vid. GALEN. Lib. *De sanguinis missione adversus* ERASISTRATUM.

culos angustiores, parciùs exhalent per cutem, sed et humidiore temperamento sint, et vitam plerumquè agant minùs laboriosam, maribus aptiores sunt, quæ sanguine redundent *.

XXII. FRIENDII opinioni objecit CHARLETONUS, quòd consueto circuitu menses macilentis fœminis abundant; quòd plenitudo nonnunquàm impedit, quò minùs hi, statutis temporibus, profundantur; et quòd sanguis, si plenitudo efficeret, ut, temporibus interjectis, effunderetur, potiùs ex arteriis pulmonum, aliarumve quarundam partium, erumperet, quàm ex iis uteri †. Hæc tamen argumenta, si radicitùs excutiantur, nihil videntur habere firmitatis.

XXIII. Contra primum argumentum sat est observare, id sanè quod GALENO innotuit, e animadverterunt recentiores medici, imò etiam concessit

* Vid. FRIEND. *Emmenagog.* cap. iii.

† Vid. CHARLETON. *De Catameniis*, pag. 30.

concessit ipse CHARLETONUS*, macilentas adeò non, ut assumit hic auctor, sanguine pauperes esse; ut plerumquè pleniores sint, quàm obesæ, et, ut compertum est, copiosiores ejus missiones impunè patiantur.

XXIV. Neque, enimvero, secundum plùs valet argumentum. Concedimus, plenis nonnunquàm fœminis supprimi menses. Sed, nostrâ opinione, non ideò supprimuntur, quòd plenæ fœminæ sunt; sed quòd patuli uteri arteriarum surculi se enixiùs contrahunt, quàm quos rubræ arteriæ nisibus possint úsquè eò amplificare, ut sanguinem effundant.

XXV. Tertium argumentum, quod adducit CHARLETONUS, invalidum cuivis apparebit, qui sciat, et in memoria teneat, quâ fabricâ uterus sit; et quanto aptior, quàm cæteræ corporis partes, ex cujus arteriis superfluus, quoties opus, sanguis effluat.

XXVI. *QUARTAM* (XVIII.) *OPINIONEM* proponit SIMSONIUS. Hic auctor, sententiam FRIENDII evertere conatus, contendit, efficientem mensium

* Vid. CHARLETON. *Oecon. Animal. Exercit.* 5. 8. 3. ut citat. à FRIENDIO.

mensium causam esse, non corporis plenitudinem, sed uteri tantùm *.

XXVII. Hic verò auctor, ut cuivis rem attento animo excutienti apparebit, dum sibi videtur de re controversiam movere, tantùm usitatissimum verbum secùs adhibet. Hujusmodi certamina, quæ sanè medicorum scripta sæpè dedecorant, res simplices et cognitu faciles involvunt et obscurant.

XXVIII. Litem tamen, inter hos claros auctores, dirimere, haud difficile est. Apud eos enim, idem verbum vim non eandem habet. Per *EFFICIENTEM*, significat SIMSONIUS *PROXIMAM* mensium *CAUSAM*: FRIENDIUS autem, *ANTECEDENTEM*, seu *PROXIMAM* à *PROXIMA*. Et, quod sanè mirum, verbo sic explicato, reapsè ipsi concinunt auctores: nam FRIENDIUS nexâ argumentationis serie demonstrat, corporis plenitudinem efficere menses, faciendo, ut supra modum impleantur uteri arteriæ †.

XXIX. Verùm,

* Vid. SIMSON. *System of the Womb.*

† Vid. FRIEND. *Emmenagog.* cap. v.

XXIX. Verùm, licèt iis auctoribus assentiamur, qui efficientem mensium causam esse corporis plenitudinem censeant; tamen non possumus, quin concedamus, de plenitudine fusè, magis quàm accuratè, scripsisse, et hinc natam fœcundam disputationis materiam. Cùm ità sit, haud à re nostra alienum erit, id agere, ut rem pressiùs et clariùs exponamus.

XXX. Impubi in fœmina, modò sana sit, sanguis ex alimentis eâ copiâ formatur, quæ cùm ad corpus sustinendum, tum ad omnes ejus deinceps partes idoneam in molem et amplitudinem evolvendas, requiratur. Hujusmodi sanguinis copiam, quam ultra, proindè ac citra, consistere nequit salutaris modus quo pubeat corpus, *MATURANTEM MEDIOCRITATEM* appellabimus.

XXXI. Quò autem conservetur hominum genus, fœmina sic à Natura constituta est, ut, cùm pubuerit, ex cibis et potionibus perficiat sanguinem, non solùm quantus suum corpus reficiat et sustineat; sed etiam, donec effœta fiat, quantus insupèr præbeat, quo rudimenta futurorum hominum, modò fœcundentur et

vivescant,

vivescant, alantur, et in homulos explicentur. Sanguis, ad continendum corpus necessarius, potest *MEDIOCRITAS SUSTINENS* nuncupari; et quicquid superest, ad fœcunditatem requisitum, *FOECUNDA UBERTAS*.

XXXII. Sed quid hæc ad rem nostram pertinent? Nostrâ sanè opinione, multùm. Efficiens enim mensium causa est, ut nobis videtur, fœcunda pubescentium fœminarum puberumve corporis plenitudo; quæ major est aut minor, prout fœcunda ubertas plùs minùs excedat sustinentem mediocritatem.

XXXIII. Ut autem non omnibus fœminis ejusdem ætatis, quibusque est vitæ et victûs communitas, eadem est mediocritas sustinens, neque eidem quidem fœminæ omni ætate; ità neque eadem omnibus, eidemve semper, fœcunda ubertas. Cuique igitur fœminæ fœcundæ, utì sua sustinens mediocritas est, et ea quidem aliàs alia; ità sua, aliàs alia, ubertas fœcunda.

XXXIV. Hinc clarè patet, nullum sanguinis sustinentem modum esse omnibus fœminis communem, ex quo æstimetur ubertas, seu nimietas,

nimietas, ad menstruas purgationes efficiendas necessaria; sed cuique proprium, quocum sanguinis ubertas menstruorum efficiens comparari debeat.

XXXV. His cognitis, satìs cuique patebit, quid valeat *PLENITUDO*, quam *FOECUNDAM* diximus; quamque existimavimus, causam esse mensium efficientem. Non enim est plenitudo simplex et communis, sed comparata et peculiaris. Tali explicatione tolletur, ut speramus, omnis obscuritas; neque erit, quamobrèm medici, in posterum, plenitudinem in alias alii trahant interpretationes, mensesve efficientèr antecedere negent.

XXXVI. *CONTINENS*, seu *PROXIMA* mensium *CAUSA*, est, ut nobis videtur, major uteri arteriarum venarumque plenitudo, quàm pro ea arteriarum et venarum cæteri corporis. Aptus autem est uterus, cujus arteriæ et venæ, præ iis cæteri corporis, sanguine plenæ sint, ob naturalem fabricam, quam suprà exposuimus. Adjuvantes simul causæ sunt, positura vigilis corporis; quotidianæ exercitationes; nisus musculorum ad urinam et fæces excernendas,

 et

et ad omnia, qualiacunque sint, molimina perficienda, necessarii ; neque rarò libidinosæ rerum venerearum cupidines.

CAP. II.

Quo consilio menstruæ purgationes.

XXXVII. Quem verò in finem, singulis lunis, fœminis menses abundant et subsidunt ? Fœcunditatis, putamus, causâ. Namque, quò hæ fiant idoneæ, quæ comprehendant, utero gerant, et partus alant quibus caducum hominum genus conservetur ; sic à Natura utilitatum providâ constitutæ sunt, ut, sanæ modò sint et validæ, certâ ætate ex quotidianis alimentis forment sanguinem, quantus non solùm propria corpora reficiat et sustineat, sed etiam explicet, formet, et alat nova deinceps animalia.

XXXVIII. Quibus fœminis desunt, omninò eæ infœcundæ sunt*. Paucæ quidem conceperunt, quæ

* Vid. LINN. *Flor. Lappon.* pag. 324.

quæ haudùm mensibus se purgaverant; at jam in eo tamen erant, ut fœcunditatis primitias funderent. Utì, quibus nunquàm fœminis menses provenerunt, eæ steriles sunt; ità, quibus, florente ætate et mediâ, interjectis temporibus, abundârunt et subsiderunt, deindè, declinante ætate, omninò cessârunt, eæ effœtæ.

XXXIX. Solum, quantùm scimus, animal menstruale mulier est. Viliorum animalium fœminæ, non, nisi cùm pruriant in venerem, sibi ex alimentis parant plus sanguinis, quàm quod ad sua corpora reficienda continendaque requiratur. Igitur non, ut humanæ fœminæ, omni tempore coëunt.

XL. Equæ verò, fœminæ sues, et fœminæ canes, iis temporibus, quibus equiunt, subant, et catuliunt; itemque vaccæ, et fœminæ oves, ubì initum desiderant; glutinosum, qui marium libidinem moveat, humorem naturalibus exstillant. Hujus odore, quem naribus ducunt, alliciti mares, et ad rabiem coitûs acti, linguis flagrantium libidine fœminarum naturam solicitant, et cæco dein furore ruunt in venerem. Cupidine autem uno aut altero initu expletâ, brutorum

brutorum fœminæ concipiunt; neque, dum fœtæ, libidinantur, coitumque concupiscunt. Intereà verò, quò cùm suum corpus sustineant, tum etiam alant fœtum, sunt, præter solitum, edaces, ventris quàm veneris studiosiores.

CAP. III.

Quibus vasis destillet sanguis menstruus.

XLI. Utrùm ex uteri arteriis menses fluant, an ex venis, discrepat inter medicos. Censet ASTRUCIUS *, ex uteri venis profundi, per quasdam venarum *APPENDICES*, quas *COECALES* vocet. Harum extremitates sic corrugari putat, ut non sanguinem transmittant, nisi menstruis periodis, ubì sanguis, in uteri vasis cumulatus, eas distendat et patefaciat. Huic verò

* Vid. ASTRUC. *Traité des malad. des femmes*, tom. i. pag. 39. 48.

rò auctori assentire non possumus; quia, quas in utero *APPENDICES COECALES* assumpsit, alii *anatomici* neque conspexerunt, neque demonstrârunt.

XLII. Iis potiùs accedimus auctoribus, qui menses ex uteri arteriis effundi opinantur. Concurrunt enim multa, quæ horum opinionem confirment. In fœminis, quæ, dum in menstruis erant, mortuæ sunt, oscula arteriarum, quæ in uterum, præsertìm autem ad fundum, hiant, guttulis grumosi sanguinis plena sunt: ut observavit MAURICEÄVIUS in cadavere suspensæ, quæ infantis cæde se cruentaverat *; et LITTRIUS in cadavere fœminæ, cui in *tuba Falopiana* fœtus erat, quamque, dum fluebant menses, mors interceperat †; itemque MORGAGNUS in virgine, quæ ex capitis ictu periêrat ‡.

XLIII. Quinetiam

* Vid. MAURIC. *Traité des Malad. des femmes grosses*, tom. ii. pag. 48.

† Vid. *Mém. de l'Acad. des Sciences pour l'an* M,DCC,II. pag. 281. 282.

‡ Vid. MORGAG. *Adversar. Anatom.* i. § 33. et adject. Tab. iii.

XLIII. Quinetiam ex patulis inversi uteri arteriarum surculis, sanguis, singulis mensibus, exstillare conspicitur. Hujusmodi exstillationem in tribus fœminis vidit LITTRIUS; et, in duabus in valetudinario, medici EDINENSES.

XLIV. Immissi, porrò, in uteri arteriam humoris pars, per patulos hujus surculos, in uteri cavum perlabitur; non autem pars humoris infusi in uteri venam.

XLV. Ex uterinis, denique, venis, quippe quibus desint patuli surculi, sanguis effluere non potest; nisi, quod sanè vero absimillimum est, et cursum retroägat et eas dirumpat.

XLVI. Contendit REALDUS COLUMBUS *, sanguinem menstruum non ex arteriis, quæ in uteri fundum pateant, effundi, sed ex iis, quæ in vaginam. Quin interdum ex his arteriis ex parte, vel ex toto, depluat, negare non possumus;

* Vid. RENALD. COLUMB. *De Re Anatomica*, lib. vi. et xi.

sumus; cùm præsertìm Carolus Piso *, Bergerus †, Verducius ‡, et Bohnius ||, seipsos in cadaveribus earum, quæ, sanguine adhuc profluente, vitâ decesserant, ità comperisse testificentur; et gravidæ nonnunquàm sanguinem menstruum effundant, neque tamen abortum faciant §.

PARS

* Vid. Carol. Pison. *De morbis ex colluv. seros.* sect. ii. part. ii. cap. vii. pag. 131.

† Vid. Gothofred. Berger. *Physiolog. Med.* lib. x. cap. xx.

‡ Vid. Verduc. *Traité de l'usage des parties, &c.* tom. x. cap. 16.

|| Vid. Bohn. *Circul. Anat. Progymn.* 16.

§ Vid. Swieten. *Comment. in* Boerhav. *Aphorism.* tom. iv. pag. 397. et 398.

PARS SECUNDA.

DE PRIMORUM MENSIUM MORA.

XLVII. Quò de hoc morbo ordinatè scribamus, nobis consilium est, definito primùm morbo, narrare, quibus malis ægram afficiat; deinde, quibus ex causis proveniat, exponere; tùm aliis, si qui sunt, morbis dignoscere, quos signis referat; tùm prædicere, qualis eventus futurus sit; postremò proponere, quâ ratione, et quibus medicamentis et remediis curetur. De his itaque partibus deinceps, quàm brevissimè dicendum erit.

CAP. I.

CAP. I.

De malis, quæ virginibus ex primorum mensium mora oriantur.

XLVIII. Primorum mensium mora definitur à CULLENO, "*amenorrhœa in puberibus, quibus, post fluxûs tempus solitum, menses non jam prodiêrint, et cùm simul variæ morbidæ affectiones adsint* *."

XLIX. Quandò tempore, quod quâque cœli regione constituit Natura, menses non proveniunt, tenera virgo malè se habere incipit, malisque antehàc incognitis afficitur.

L. Ventriculo ad sua munera invalido, virgo solitos cibos fastidit, assumptosve rejicit, neque rarò cruditatibus gravatur.

* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. ii. gen. CXXVI.

"Jam dulces epulæ, deliciæque nocent.
"Quæ modò profuerat, contraria redditur esca:
"Fastidita jacet, quæ modò dulcis erat."

CORNEL. GALL.

Languescens haud raró puella, stomachi ardoribus afflicta, naturas, sanis neque esculentas neque salubres, appetit, atque mirâ aviditate, vixque credibili, devorat. Naturæ hujusmodi sunt calx, cineres, aliæque quotquot acorem absorbent; vel humorem, ex acri et irritante, convertunt in mitem, ventriculoque innocuum.

LI. Intereà virgo, quæ nupèr hilaris, proterva, et lasciva, cum adolescentulis jocabatur, fit tristis, mœsta, et animo demissa. Dum convictum et cœtum fugit fastiditque, sæpè vespere, occasione datâ, clàm in secreta ædium secedit; aut fallit suos, et, visa nulli, peragrat invia loca, seve confert in opaca silvarum, quorum in silentio et solitudine mœstitiæ indulgeat.

LII. Haud multò pòst, deficientibus viribus, stomachus indies cibos concoquendi fit impotentior,

tentior, oblatosque magis fastidit. *Chylo* itaque non suppeditato, qui, in sanguinem versus, corpus reficiat et sustineat, arteriæ et venæ, globulis rubris in constituentes primùm partes dissociatis, deinque absorptis atque excretis, motu languescunt; neque, ut anteà, quoquoversùm colorem pariter, pariterque vigorem, distribuunt.

LIII. Rubri sanguinis parcitate summa ubique cutis, candido rubore amisso, subviridem pallorem ducit. Amores eheu non diutiùs spirat decolor vultus, non oscula provocant labia! Dicat aptè virgo poëtæ verbis:

"*Vix igitur possis visos agnoscere vultus:*
"*Quòque iërit, quæras, qui fuit antè color.*
"*Parvus in exiles succus mihi pervenit artus,*
"*Membraque sunt cerâ pallidiora novâ.*"

OVID.

LIV. Morbo procedente, neque refectis rubris sanguinis particulis et glutine, patuli arteriarum surculi tenuem, quem continent, humorem exhalant in eas præsertìm corporis partes, ex quibus, adversâ gravitate, venæ sanguinem

guinem reducunt. Hinc aquâ inter cutem intumescunt pedes et crura; et dein, nisi menses optatò proveniant, aliæ etiam corporis partes, quæ minùs à corde distant.

LV. Ubì eò morbus pervenit gravitatis, haud insolitum est, indurescere glandulas, quas permeant vasa bibula, quæ undequaquè ad venas proficiscuntur. Quo fit, ut ex pauxillo alimento, quod assumit virgo et ægrè concoquit, *chylus* omninò non, vel saltem ægerrimè et tardissimè, conducatur in sanguinem. Corpore itaque famelico, vires citò fatiscunt, omniaque organa, quotquot eunt dies, ad sua munera fiunt invalidiora.

LVI. Partìm musculorum debilitate, partìm effuso humore, anima ægerrimè accipitur et redditur; atque vel levissimis causis cor aut palpitat, aut motus intermittit. Effusâ aquâ intumescit abdomen. Vires paulatìm emoriuntur. Et virgo, ah durum! immatura et illibata mortalitatem explet. Quis parentum talem casum non miseratur? Quis juvenum videndo lachrymas contineat?

CAP. II.

CAP. II.

De Causis.

LVII. Dictis malis, quæ primis mensibus retentis superveniunt, proximum est, ut pressè, at lucidè tamen, exponamus, quæ causæ faciant, ut hi provenire cunctentur.

LVIII. *Abditæ causæ*, seu eæ quæ virgines primorum mensium cunctationi opportunas reddunt, videntur esse, quæcunque, appropinquante pubertate, obstent, ne genitalia maturescant.

LIX. Hujusmodi autem sunt, utì docuit medicorum experientia, morbi, quibus, sicuti febribus, sanguinis alvive profluviis, inflammationibus gravibus, adeò infirmantur organa, quæ res alimentarias vertunt in sanguinem, ut tardè confirmentur. Ipsa itaque, pristinam valetudinem non redepta, haud possunt ex cibis et potionibus vitalem parare humorem, quo cæteræ corporis partes vires recipiant,

nedum

nedum partes nondùm explicatæ evolvantur et maturescant.

LX. Ad idem genus pertinent, diæta insalubris ; et parcior, quàm quæ pubescentem virginem alere et sustinere possit : fortuitæ sanguinis profusiones, quales haud rarò ex arteriis, venisve majusculis, casu vulneratis fiunt : sedentaria vita, quam in urbibus populo frequentibus plurimæ degunt virgines, quæ, tenerâ etiamnum ætate, modicis parentum opibus eas coguntur discere artes, quibus vitam tolerent.

LXI. His accedant vigiles curæ, mordacesque solicitudines ; quæ, dummodò diù somnos adimant, mirum in modum attenuant et debilitant corpus : mens mali facti sibi conscia ; futurorumve malorum, supra modum, metuens et provida : spes futuræ magnitudinis frustrata : improvisa fortunæ malignitas, quanta vel solidam quatit mentem : mœror ex defletis parentibus, qui longâ senectute minuti occiderunt ; vel flebilibus fratribus et sororibus, quos ætate teneros improvisa vis lethi, sororum precibus non lenis, rapuit.

LXII. Sed nulla causa mensibus et pubertati moram sæpiùs et potentiùs facit, quàm solitudo. Tanta nonnullis parentum superbia est, tamque perpetua disparium nuptiarum formido, ut, sicut DANAËN olim ACRISIUS, pubescentes filias turri aheneâ, robustisque foribus, et tristibus vigilum canum excubiis muniant; ne cum adolescentulis ævo æqualibus commisceantur, et, amore captæ, impermissa raptìm gaudia donent, luminibus remotis, sordidisve nuptiis genus et domos inquinent.

LXIII. Virginum sic inclusarum primùm animi languescunt, deindè corpora. Perversâ enim Naturâ, cui sanè parentes rarissimè impunè repugnant, virgines, negatis lætis choreis, et vespertinis per deviá ambulationibus, et lenibus compositâ sub noctem horâ susurris, animis demittuntur; et à parentibus, quos sævos habent custodes, voluntatem et reverentiam alienant.

LXIV. Neque ità multò pòst, corpora tristium virginum, perindè ac si cum animis consentirent, segnia fiunt, neque solitis possunt uti exercitationibus. Ventriculus cibos nec appetit,

appetit, nec acceptos concoquit. Sanguis fit mali habitûs. Decolor fit corpus. Virginesque, speculo se videntes, semetipsas refugiunt, et speciem deflent amissam.

"*Pro niveo, rutiloque priùs, nunc inficit ora*
"*Pallor, et exsanguis, funereusque color.*"

CORNEL. GALL.

LXV. Hujusmodi enimvero causis infirmatæ, virgines non possunt sibi parare sanguinem, quo vel tenera corpora sustineantur, et immatura membra explicent se in molem et amplitudinem, quæ ad pubescendum necessaria sunt; nedum, quo fœcundæ et nubiles fiant, et idoneo tempore feliciter concipiant, et pariant.

LXVI. In tali itaque vitalem humorem renovandi impotentiâ consistit *PROCLIVITAS*, seu *INCLINATIO* in morbum, de quo scribimus. Illiûs enim parcitate non ritè augescunt testes muliebres; neque cæteræ enimvero partes, ad res venereas necessariæ, aptæ fiunt, quæ suis benè muneribus fungantur.

LXVII. Sic

LXVII. Sic autem constitutæ fœminæ sunt, pariter atque mares, ut, nisi certâ ætate genitalia explicentur, et, molem requisitam et amplitudinem nacta, miram corporum commiscendorum excitent libidinem quâ genus hominum conservetur, animus juxtà ac corpus languescant; et, utì contristatur illius hilaritas, ità hujus valetudo infirmetur.

LXVIII. *Evidentes* primorum mensium moræ *causæ* sunt, ut nobis videtur, infœcunda sanguinis penuria et tenuitas. Arteriis itaque et venis totius corporis non satìs, nedum supèr, bono sanguine impletis, nulla est fœcunda hujus ubertas, quam Natura, statutis periodis, velit et nitatur, per patulos et distentu faciles uteri arteriarum surculos, corpore expellere.

LXIX. *Continens*, seu *proxima*, primarum purgationum cunctationis *causa* est, putamus, uteri arteriarum imbecillitas. Bono enim sanguine non satìs impletæ, remissè micant; neque valet languidum flumen patulos earum surculos distendere.

CAP. III.

De signorum explicatione.

LXX. Causis breviter narratis, res videtur poscere, ut, hìc loci, paucis exponamus, quemadmodùm tantis virgines malis primorum mensium mora afficiat.

LXXI. *Stomachi imbecillitas*, præ qua cibos fastidit, ex eo oritur totius corporis languore, qui genitalibus non ritè maturescentibus supervenit. Receptaculum enim ciborum et potionum ejusmodi organum est, ut, id quod docuit multorum experientia, non solùm cum ipso cæterum corpus consentiat, sed et ipsum cum cætero corpore.

LXXII. *Assumptos cibos rejicit stomachus*, quia, ob debilitatem, eos concoquere nequit, ideòque, utpote alienos seu extraneos, conatur expellere. Neque, enimvero, alienas naturas eliminare, stomacho proprium est: quippe aliæ item partes hujusmodi naturis se quamprimum

primum liberare, etiamsi alio alia modo, nituntur. Uterus enim fœtum, vel immaturum, quem diutiùs nequit nutrire, vehementibus nixibus excludit. Mucus, aliusve quilibet humor effusus, qui asperam arteriam et pulmonum spiramenta, supra modum, oppleverit, musculos respirandi ciet in motus, quibus extussiatur. Partes, ex quibus nullæ ducunt viæ, per quas possint alienas naturas ejicere, capiunt inflammationem et abscedunt, quò offendentibus hujusmodi naturis, unà cum pure, sese exonerent.

LXXIII. *Appetitûs pravitas* excitatur succo stomachi proprio, reliquiis alimentorum coacescentibus, vel alio aliquo modo corruptis vitiato. Cruditates, quæ in stomacho remorentur, plerumquè acidas esse, vero idcirco simillimum est; quòd ægræ, ut observârunt medici, fermè ea, præ cæteris, esuriant, quæ aut acorem absorbeant, aut in neutrum vertant et innocuum: cujusmodi sunt calx, creta, cineres, et, si qua, consimilia. Nunquandò verò cruditates, quas retinet stomachus, acidis naturâ contrariæ sint, non possumus affirmatè

dicere.

dicere. Satìs verò constat, siquandò hujusmodi sint, saltem rarissimè.

LXXIV. *Exsanguis funereus*que *color*, qui, pro niveo rosaceoque, ora summumque ubique corpus inficit, oritur rubrarum sanguinis particularum paucitate, quam ciborum fastidium, concoquendi impotentia, *chyli*que penuria effecerunt.

LXXV. *Aqua intercus*, cæteræque, si quæ, hydropis formæ, partìm sanguinis tenuitate oriuntur, quam effecit *chyli* inopia; partìm patularum arteriarum laxitate, quæ eandem sanè causam agnoscit.

LXXVI. *Cordis palpitatio*, et *spirandi difficultas*, et *animæ defectus*, attribuenda sunt musculorum debilitati, quæ *chyli* inopiam, et globulorum sanguinis rubrorum paucitatem, subsequitur; atque haud scimus annon etiam, ex parte, tenui humori in saccos *pleuræ*, et cordis capsulam effuso.

CAP. IV.

CAP. IV.

De Diagnosi.

LXXVII. Nunc res postulare videtur, ut morbum, de quo scribimus, ab iis dignoscamus, quibuscum illi communia quædam signa sint. Hujusmodi autem morbi sunt, morbus regius, hydrops, *dyspepsia* et phthisis. Quibus itaque notis ab his distinguatur, nunc breviter exponendum est.

LXXVIII. *Morbus*ne *regius* urgeat, an primorum mensium cunctatio, medicus vix dubitare poterit; modò attendat animum ad ætatem ægræ, et secum consideret, quæ hanc mala affligant.

LXXIX. Pubescentes virgines sæpè ex primorum mensium mora laborant, rarò ex morbo regio. Quinetiam, illo morbo affectæ decolorantur quidem, ut suprà ostendimus, at rarissimè tamen perindè flavent, ac hoc morbo

laborantes.

laborantes. Morbo, porrò, arquato flavarum alvus dura et tarda est; et, quas fæces dejicit, eæ sunt albidæ et tenaces, terræ sanè cimoliæ persimiles. *Ictero*, denique, flavæ, non item mensium primorum morâ decolores, gravibus plerumquè doloribus urgentur, interdùmque fellea alvo concreta excernunt.

LXXX. *Hydrops* primarius impuberes ferè nunquàm afficit; et vel secundarius mensium moræ non, nisi longæ, supervenit. Quinetiam hydropicæ, supra modum sanarum, sitiunt et bibunt, non item mensium cunctatione languentes. Illarum porrò urina, contrà atque harum, præter naturam parca est. Hydropicæ denique non, velut eæ quæ retentis mensibus languent, appetitu depravato res alienas, neque sanè esculentas, cupiunt et furtìm devorant.

LXXXI. *Dyspepsia*, an primorum mensium morâ, languescant ægræ virgines, medici plerumquè poterunt discernere, modò advertant animum ad ætatem ægrotarum, et percunctentur ab ipsis, quo inceperit modo mala valetudo.

LXXXII. Si

LXXXII. Si enim invaletudo capitis et lumborum doloribus supervenerit, aliisque malis quæ primas virginum purgationes antegrediuntur et prænunciant; nullum fermè dubium erit, quin ex his justo diutiùs cunctantibus præsentia mala oriantur. Sin minùs, erit, quarè cibos concoquendi impotentiæ medici attribuant.

LXXXIII. Ad hoc, pubescentes virgines, quarum mala proficiscuntur ex sola stomachi infirmitate, rarissimè exsangui inficiuntur colore, quo eæ, quæ, ultra tempus naturâ constitutum, morantur se, singulis lunis, purgare.

LXXXIV. Hùc accedat, quòd virginibus, quibus unica invaletudo sunt stomachi defectus et ciborum coquendorum impotentia, nunquàm, sicut iis quarum primi menses cunctantur, usquè eò fatiscunt vires, ut superveniat hydrops, et vèl leni exercitatione cor palpitet, motusve prorsùs intermittat.

LXXXV. *Phthisis*, seu pulmonum tabes, haud secùs, ac morbus quem persequimur, corpus attenuat. Ille tamen morbus virgini-

bus

bus rarissimè antè obrepit, quàm pubuerunt. Quinetiam, contrà atque primi profluvii genitalis mora, hæreditarius morbus est, qui, sicut res familiaris, à parentibus ad prolem descendit. Suo porrò cursu, alicujus plerumquè pectoris partis dolorem movet, et dein inflammationem. Seriùs denique ociùsve, inflammata pars abscedit, et lentâ demùm morte ægram consumit. Hæc autem mala neutiquàm mensium primorum moræ communia sunt cum tabe pulmonum.

CAP. V.

De Prognosi.

LXXXVI. Utì nihil est medicis utilius, quàm præsagire posse, qualis futurus sit morborum eventus, ità nihil est, de quo periculosius est errare. Quaproptèr est medici prudentis, neque quàm conjecturalis ars medicina sit ignari, nihil temerè de morbis, in futurum, prædicere.

cere, sed secum considerare, utram in sortem concurrant plura verisimilia.

LXXXVII. Ubì virgo, naturâ firmâ corporis constitutione prædita, nondùm plurimùm debilitata prægressis morbis est; et ubì morbus nondùm inveteravit; nihil est, quod metum injiciat. Levis etiam morbi testimonium est, vires non multùm fatiscere, et pedes non aquâ intercute intumescere. Neque mali morbi signum est, si neque levi exercitatione cor palpitat, motusve intermittit; neque, ex difficili, accipitur et redditur spiritus.

LXXXVIII. Virginem verò periclitari ostendunt, morbus jam inveteratus; vires multùm dissipatæ; aqua inter cutem, aliæve hydropis formæ; corpus macie attenuatum; ventriculus omnium æquè esculentorum aversans et fastidiosus; animus perquàm demissus; color admodùm exsanguis et funereus.

LXXXIX. Periculosi etiam morbi indicium est, ubì lenissimo motu cor perturbatè salit, ejusve ictus interquiescunt; ubì virgo anhela est, et suspiriosa; ubì marcescit totum cor-

pus, summamque macies cutem adducit; et ubì febris, qualis syntecticis, obrepit.

xc. Siquandò morantur primæ virginum purgationes, dum tanta supervenerint mala, plerumquè parùm valet medicina; et mors illachrymabilis, tam pulchritudine, quàm parentum precibus immota, teneram prædam rapit.

"—— *Neque jam color est misto candore rubori;*
"*Nec vigor, et vires, et quæ modò visa placebant.*"

Ovid.

CAP. VI.

De Curatione.

xci. Quò eliciant morantes menses, medicorum est, bono corpus sanguine implere, deinque incitare languidas uteri arterias. Quibus itaquè medicamentis et remediis possint hæc exsequi, nostrum est paucis exponere.

xcii. *Primo*

XCII. *Primo* (XCI.) *consilio*, opus est non solùm confirmare languidum stomachum, ità ut esculenta appetat et concoquat; sed etiam confirmato et esurienti suppeditare concoctu facilia, quæ cùm famem expleant, tum abundè præbeant succos, qui in sanguinem facilè convertantur.

XCIII. *Exercitatio* lenis, sub dio, plurimùm valet ad stomachum firmandum. Hæc enim distribuit sanguinem in corpus æqualiter totum, et crebriores ei vitalem colorem et vires redipiscendi occasiones præbet. Quinetiam cutis movet halitum, quo sanè nihil plùs conducit ad stomachum confirmandum.

XCIV. Quum ità sit, virgo, quæ cunctabundis primis purgationibus pallescit, debet sese, quantùm sinant vires, singulis diebus, exercere. Exercitationis tamen genus ad vires, et vitæ consuetudinem, accommodandum est. Quæ enim his sit exercitatio levis et salutaris, eadem illis gravis et nociva. Modò autem permittant vires et victus, optimæ exercitationes sunt gestatio, ambulatio, et saltatio; quippe cùm faciant, ut sanguis in genitalia, pariter

riter atque alias partes inferiores, copiosiùs distribuatur.

XCV. *Frigidarium* quoque permultùm valet ad vires stomachi reficiendas. Quantùm stomachum firmet lavatio aquâ frigidâ, medici, omni ævo, compererunt. Frigidâ quotidie aquâ, præcipuè marinâ, corpus perfundere, cutem roborat, et etiam ventriculum ipsum, propter mirum consensum, qui huic cum illa intercedit. Quò tamen perfusio ad spem respondeat, virgini cavendum est, ne tenerum aquæ corpus committat, si pulsus solito languidior sit, et calor corporis naturali minor. Quippe, utì docuit experientia, frigidâ perlui aquâ, dum languent arteriæ, et corpus inalgescit, nunquàm non debilibus, imò et sanis, plurimùm nocet.

XCVI. *Vestitus* porrò, qualis cutis halitum evocet, magnoperè contribuit ad pristinum stomacho vigorem restituendum. Spiramentis enim cutis frigore aut quiete constrictis, homines cibos minùs appetunt, et ægriùs concoquunt, quàm ubì, per ea, nocivæ quædam naturæ corpore excernuntur. Dum itaque pubescentes

bescentes virgines student esse munditiis simplices, et vestitu decoræ; ne, pravam imitatæ consuetudinem, ultra modum curent vestimentorum paucitate se junceas reddere, atque non solùm integræ DIANÆ iram, sed et juvenibus fastidium, et graves sibimetipsis morbos moveant.

XCVII. *ANIMUS* intereà erigendus est et exhilarandus omnibus, quæ futuram spem bonam excitent, et lætis eum impleant imaginibus. Hunc in finem, virgo sæpè sit in æquali ævo pubescentium convictu, ut serendis sermunculis, et muto oculorum colloquio, flammam simul moveat et ferat, atque, quid sit amor, persentiscat. Quinetiam, amœna subindè peragret rura; ubì rerum novitas animum delectet, et infinita visu, auditu, gustatu, odoratuque jucundorum varietas voluptate sensus permulceat.

" *Hìc ver purpureum: varios hìc flumina circum*
" *Fundit humus flores: hìc candida populus antro*
" *Imminet, et lentæ texunt umbracula vites* *.—

" *Hinc*

---

* VIRGIL. *Eclog.* IX. *lin.* 40.

"*Hinc tibi, quæ semper vicino ab limite sepes,*
"*Hyblæis apibus florem depasta salicti,*
"*Sæpè levi somnum suadebit inire susurro.*
"*Hinc altâ sub rupe canet frondator ad auras,*
"*Nec tamen intereà raucæ, tua cura, palumbes,*
"*Nec gemere aëriâ cessabit turtur ab ulmo* *."

XCVIII. *Medicina* quoque quædam suggerit medicamenta, quæ stomachum firmando ad integritatem valetudinis restituendam conducant. Hunc in finem, optima sunt medicamenta, ex iis quæ *roborant*; quorum alia ex *fossilibus* parantur, alia ex *terra natis*.

XCIX. *Primi generis* efficacissima sunt præparata quædam ex ferro; limaturæ nempè ferri, ejusdemve *carbonas*, *oxydum*, *murias*, *sulphas*; quibus accedat *ferrum ammoniacale*.

C. *Secundo genere* comprehenduntur roborantia ea, quæ, ob virtutes quibus pollent, nominantur *amara*, *astringentia*, et *aromatica*. De his verò capitatìm et singulatìm dicere, haudquaquàm nobis consilium est.

CI. Satìs

* Virgil. *Eclog.* I. *lin.* 55.

CI. Satìs ad rem nostram erit memorare, optimum hujusmodi roborantium esse *cinchonæ* corticem; quippe qui omnium congenerum virtutes naturali mistu conjunctas possideat. Hujus corticis tres varietates sunt; quarum verò quæ plurimùm polleat, nondùm inter medicos convenit. Neque, enimvero, consentitur inter eos, quâ potissimùm formâ cortex assumendus sit. Plerique tamen pulveri, vel frigidæ ex contuso cortice aquæ, primas concedunt.

CII. *Cibis* intereà iis virgo, cui morantur primæ purgationes, vivere debet, qui ad concoquendum faciles sint, et naturâ apti qui brevi in sanguinem vertantur.

CIII. Hujusmodi sunt puberum animalium carnes; quæ, superquàm quòd jucundè stimulant stomachum, et proprio hujus alimentorum receptaculi succo facilè solvuntur, magis abundant iis naturis, quæ in arteriis perficiantur in sanguinem. Non puberum tamen æquè animalium carnes virginibus, primi profluvii genitalis cunctatione languentibus, conveniunt. Harum enim imbecillus stomachus

carnem

carnem ferinam meliùs fert, citiùsque concoquit, quàm eam mansuefactorum animalium. Eum, porrò, minùs gravant carnes domesticorum animalium, quæ arvis pinguescunt, quàm eorum, quæ præsepibus saginantur. Eidem aptæ terrestres aves ferinæ sunt; velut perdrices, phasianæ, fulicæ, aliæque, quas retibus, vel aucupio sagittarum, aliisve ministris venatores nanciscuntur: alienæ verò aquaticæ, quæ vivunt mari, lacubus, vel fluviis.

CIV. Multùm virginum interest, de quibus dicimus, quâ carnes ratione igne coquantur. Proprio succo assæ aut frixæ, quippe quas commodiùs ferat stomachus, citiùsque perficiat, sunt elixis et jurulentis anteferendæ.

CV. Quò vel assas frixasve carnes citò et optatò conficiat stomachus, virginibus permittatur, ut, unà cum iis, quædam assumant condimenta, quæ hunc salutares in motus excitent; salem nempè, piper, et sinapim. His autem, cùm, multo eorum in usu si diù perseveretur, ventriculum debilitent, adhibendus est modus. Utì tutissima, sic optima, quibus condiantur quotidiani cibi, sunt exercitatio,

continentia,

continentia, et fames: quippe jucunditas victûs est in desiderio, non in gulæ incitamentis, et satietate.

CVI. *Potus* aliquanto meraciores esse debent; præsertìm fermentati, sicut cerevisia lupis benè imbuta, et vina ea minimè apta quæ in ventriculo acescant. Ex vinis optima sunt alba ex uvis præparata, potissimùm Maderiense, at aquâ temperatum. Dummodò autem vina, itemque, ut interdum, cerevisiæ, in stomacho coacescant, substituendi sunt potus distillati, multâ lymphâ diluti, *alcohol* scilicet *saccharinum*, aut *vinaceum Gallicum*.

CVII. Caveant autem teneræ virgines, nè scyphis, in usum lætitiæ natis, nimìs indulgeant. Ex parvis principiis crescunt pravæ cupiditates, quas posteà difficillimum est continere et eradicare. Virgines itaque, quippe quibus indecorum sit, Thracum et congræcantium more, cyathis calere et certare, sint vini quàm maximè modicæ et abstemiæ; atque, primùm ut, viribus refectis, provenerint menses, ab eo, ex toto, abstineant.

CVIII. *Secundo* (XCI.) *consilio*. Expositis iis, quibus impleatur corpus bono sanguine, nunc

nostrum est explicare, quâ ratione, et quibus ministris incitentur usquè eò uteri arteriæ, ut, patulis ipsarum surculis dilatatis, menstruum sanguinem profundant. Hunc in finem, oportet medicum facere, ut uteri arteriæ non solùm *IMPLEANTUR SANGUINE*, sed etiam, si opus sit, *ALIIS*, quàm sanguine, *STIMULENTUR*.

CIX. Eorum, quæ faciunt, ut sanguine impleantur uteri arteriæ, alia *URGENT* sanguinem in uterum, alia *DEDUCUNT* seu *DERIVANT*.

CX. *URGENT* sanguinem exercitationes quædam, quibus utuntur virgines, vel toto corpore, vel ejus saltem trunco erecto; velut ambulatio, saltatio, saltus, equitatio, et gestatio. Hæ exercitationes, quippe cùm faciant, ut arteria magna descendens sanguinem inferiores in partes uberiùs demittat et diffundat, permultùm sanè ad uteri arterias implendas conducunt.

CXI. Earum verò exercitationum plurimùm pollet saltatio; neque id quidem solùm faciendo, ut deorsùm copiosiùs urgeatur sanguis, sed, quod forsan æquè vel plùs valet, etiam jucundè commovendo pectus et genitalia. "Unà "enim,"

"enim," ut eleganter scribit BERNARDUS, "cum corporis motionibus, quibus sanguis in "partes inferiores solito copiosiùs derivatur; "dulces voces citharæ tibiæve cœtum perso-"nantes, et CUPIDO, faciem mutuatus et ora "dulciloqui juvenis, et nova gaudia, quæ "pectus pertentant, quoties virgo, rubore suf-"fusa, furtìm obliquat oculos in flagrantem "vultum adolescentis motibus decori, ipsâque "calentis, genitalia dulciter et jucundè com-"movent, et tardos haud raró menses eli-"ciunt *."

CXII. *DEDUCUNT* in uterum sanguinem cathartica acriora, quæ rectum præcipuè intestinum stimulant. Hujusmodi sunt aloë, helleborus niger, *gambogia*, *jalapa*, et siqua similia. Idem quoque faciunt acria ea, quæ, in sanguinem delata, et ex hoc, unà cum urina, secreta, vesicam multùm irritant; piper scilicet, sinapis, oleum terebinthinum, et his assimilia. Quum enim, à posteriore et inferiore parte, uterus recto

---

* Vid. BERNARD. Difput. Inaug. *De Exercitatione.* EDIN. M,DCC,XCVIII.

recto intestino adhæreat, et, ab anteriore et inferiore, vesicæ; illi tantus, per nervos, cum his utrisque consensus est, ut, alterutrisque irritatis, ille quoque irritetur, ejusque arteriæ solito plus sanguinis accipiant.

CXIII. *Alia* autem *stimulantia* necessaria sunt, ubì, ut interdum, tam exercitationes quæ urgent sanguinem in uterum, quàm medicamenta quæ deducunt, non satìs valent ad primos menses eliciendos. Illiusmodi sanè complura à medicis memorantur; hydrargyrus videlicet, rubia tinctorum, frictio, et *ignis electreus*.

CXIV. *Hydrargyrum* olim virginibus, quibus primi menses non tempestivè provenerunt, assumendum curabant nonnulli medicorum; opinati, horum cunctationem effici sanguine spissiore, quàm qui patulos uteri arteriarum surculos permanaret, neque ullo alio æquè medicamento posse hujus spissitatem tenuari.

CXV. Sed nihil est, quamobrèm his medicis assumptam sanguinis spissitatem concedamus, et vim sanguinis attenuandi, quam hydrargyro ascribunt. Gregorio libentiùs assentimur, hydrargyrum, siquandò ad fluores

pubertatis

pubertatis evocandos conducat, non ideò conducere, quòd sanguinem tenuiorem faciat, sed quòd cor constantèr cieat, et omnes pariter corporis arterias. Quanquam hoc, utpote efficacissimum, medicamentum nonnulli auctores scriptis celebrârunt; sæpè tamen, ut compererunt alii, boni et satìs fidi, spem, ex toto, frustratur.

CXVI. *Rubiam tinctorum* ad menses eliciendos efficacem compertus est Homius, qui eam ideò laudibus celebrat. Hoc verò medicamentum aliorum medicorum spem fefellit. Sed, quamvis ità sit, idoneum tamen putamus ejus hìc mentionem interjicere, ne boni auctoris famam ex libidine obscurâsse videamur.

CXVII. *Frictio* feminum et imi abdominis quin multùm polleat ad primos menses eliciendos, nemini dubium est. Has itaque partes oportet identidem lenitèr perfricari aut ipsius virginis manibus, aut iis matris amicæve. Has frequentèr partes levitèr contrectare, naturalia externa voluptate permulcet; et, per nervos ligamentorum rotundorum, etiam jucundè

dè commovet *ovaria* et uterum, sicque haud rarò facit, ut menses optatò proveniant.

CXVIII. *Ignis* autem *electreus* omnibus præpotest stimulantibus, quorum meminimus. Quinetiam, utì nullum efficacius remedium, ità nullum commodius. Medicus enim, præsentibus matribus matronisve, neque discinctis virginum vestibus, potest idoneo apparatu aut ex genitalibus scintillulas *electreas* elicere, aut in eadem dirigere leves ictus. Loci virginum permanante igne jucundè commoventur, neque rarò, brevi pòst tempore, pubertatis munuscula fundere incipiunt.

CXIX. *Acidum oxymuriaticum*, quippe cùm incitandi vi præpotens sit, prodesset, necne, virginibus, quarum primi menses provenire cúnctantur?

CXX. Si fœcunditatis fontes felicitèr aperiunt medicamenta et remedia, quæ memoravimus, brevi adolescentulæ redipiscuntur pulchras genas,

"———*et eburnea colla, decusque*
"*Oris, et in niveo mistum candore ruborem.*"

OVID.

CXXI. Quòd

CXXI. Quòd si vobis, teneræ puellæ, parùm prosint PHOEBI auxilia, adveniat vocatus HYMEN, optatumque vobis remedium afferat. Ab eo

"*Discite sanari,* ———
"*Una manus vobis vulnus opemque feret.*
"*Terra salutares herbas, eademque nocentes,*
"*Nutrit: et urticæ proxima sæpè rosa est.*"

OVID.

